



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Theophilus Conf. 4. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

diris esse agitatum , sed quoties infestandi patris consilia cepisset ; ut intelligent , qui in parentes insurgunt, quo consiliario rem gerant , quin imò jam animos orcinō hospite possideri, quibus amor in parentes est pulsus. Cæterū REMBERTVM patrem pauperes suum jam dudum vocabant , ut qui in eorum usum loculos semper circumferret. Certè in captivos non suos modò , sed etiam sacros thesauros dilapidavit , præclaram mercatram existimans , auro animas emere. Victoriam contra Nortmannos precibus suis alter Moses impetravit, fuitque deinceps locus ille , in quo oraverat , semper cespite virenti latus : puto ne unquam civibus obsidione liberatis deesset , unde coronam sospitatori suo necterent. Ex Surio.

A uelle à Sole Solis radium, & non lucet ; membrum à corpore, & putrescit : separa filium à devotione parentis , & jam non est filius , sed frater & collega illorum, de quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis. S.Pet. Chrysol.in serm.

S. THEOPHILUS CONF. 4.Februarii.

O Semper insidiosa demissis animis ambitio ! THEOPHILVS ille, qui infulam ultrò oblatam ultrò rejecerat , mox officio œconomi ab æmulis se dejici usque adeò indignatus est , ut excire in auxilium orcum non vereretur. Ergo ad magum, cum hoc ad juratum humani generis hostem curritur : Deum Deique Matrem ejurare non titubat lingua impudens, non erubescit scripto firmare calamus impius, sustinet obsignare fœdus infandum gemma perfida: verbo, JESV ac Mariæ nuper libertus, dæmonis abit mancipium. Sed sequitur & nocentem conscientia flagellat; quin honori jam suo restitu-

4.Feb.

VITÆ SANCTORVM.

73

restitutum acrius etiam torquet. Quid faceret? quod fugeret impius transfuga? ad magnæ Matris ubera, per quæ Filiū sauciārat? ad vulnera Filii, per quæ Matrem impetierat? & tamen ad Matrem ausus est confugere; memor semper Matrem facilius flecti, quam judicem. Itaque ad Marianæ ædis limina quadraginta ipsos dies noctesque perstare, sed longè magis ipsam cœli portam Virginem ambire: hanc lacrimis mollire, hanc gemitibus pulsare, hanc jejuniis denique frangere. Cedit itaque vim facienti facilis alias janua. Admittitur per Matrem ad Filii gratiam THEOPHILVS, extortisque infames hosti codicillos aufert. Hos ubi palam igni dedit, post triduanam febriculam per notam sibi, & jam apertam portam cœlum ingreditur. Agnoscite felicitatē vestram in THEOPHILO Mariophili. Sit omnibus aliis angusta cœli porta, certe vos laxam amplamque habetis. Ex Surio.

Maria peccatorem à desperationis barathro piâ manu retrahit, spei medicamen aspirat, fovet, non despicit, quousque horrendo Iudici miserum reconciliet. Famosum hujus benignitatis testimonium est Theophilus per Mariam restauratus gratia. S. Bern. in deprec. ad Mariam.

S. CHRISTIANUS CONF. 4.Februarii.

Nulli minus sapiunt, quam qui maximè, cum interea Superi iis ferè colludant, qui sanctam simplicitatē præ se ferunt. Ad testem CHRISTIANVM provoco. Is cum adolescens noctu non sat modestè tectus ædes perambularet, insultantem nudo tergo sub mulieris larynx orcu tulit, onusque improbum totam noctem circumtulit. Sacris initiatus Comitis natum sub exuviis ursi terrorem

D

fibi